



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

47. An cum periculum vitae imminet, ut in naufragio, peste, bello, &c. tunc possint simul dicere aliqua peccata, & simul omnes absolvi? Et an in tali casu supradicti teneantur publicè, vel per ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

Ref. 202. §. ult. & melius in c. 9. tr. 7. Ref. 127. si gaucet in §. Verum, ad medium, & vers. nam absolutus.

neri ad comparandum, nec posse illi id onus imponi, quia Bulla aliquod ei privilegium donat distinctum ab his, quae habet in ipso mortis articulo, alioquin quae gratia donatur per Bullam; sed in eo articulo nulla alia gratia donari potest, nisi obligatione comparandi solvi, quia absolutio directa jam ei erat licita ipso mortis articulo: ergo solvitur onere comparandi, quod si in mortis articulo fuit absolutus cum onere comparandi, quia non habebat Bullam, potest ea habita iterum absolvi in eodem, vel alio mortis articulo, & eo onere solvi.

RESOL. XLV.

Quando puer est absolvendus in articulo mortis? Et quid faciendum; quando aequè dubitatur puerum habere usum rationis, & non habere? Ex part. 5. tract. 3. Ref. 68.

Sup. hoc supra cursum in Ref. 2. ad lin. 3. & lege doctrinam aliarum Ref. ejus primae not. quamvis non sint pro articulo mortis.

§. 1. **P**ost septennium completum absolvendus est puer saltem sub conditione, nisi constet non habere usum rationis maxime in articulo mortis, quia stat pro illo juris praesumptio de usu rationis. Ita Zambranus de sacram. Pœnit. cap. 4. dub. 3. n. 4. ubi numer. 8. asserit, quod si aequa sit pro utraque parte probabilitas, quia Confessarius aequè sentit puerum habere usum rationis, & non habere, si tamen talis puer fateatur peccatum veniale, vel mortale, absolvendus est necessario sub conditione in articulo mortis. Ita Barth. de Medina, & multi viri docti. Probat, quia hæc pars est tutior, cum certum sit damnandum esse puerum si in peccato mortali discedat, in quo potest esse, licet illud non cognoscat, & irreverentia sacramenti tollatur conditione apposita. Ergo, &c. vide etiam Chapeavillam de sacram. Pœnit. quest. 14. per totam. Turreblancam in pract. juris spirit. lib. 14. cap. 6. num. 59.

RESOL. XLVI.

An quando multis imminet periculum vite, ut fit in naufragio, peste, bello, &c. tunc singuli breviter possint dicere aliqua peccata, & sic absolvi? Imo in dicto casu, an Confessarius ex Charitate, ut aliis subvenire possit, & similiter ipse pœnitens, qui viderit aliorum periculum, teneatur non perficere confessionem?

Et an in dicto casu possint simul, quando imminens periculum aliud non permitteret, ostendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & sic simul omnes absolvi, unica absolutione, & forma? Ex part. 2. tr. 16. & Misc. 2. Refol. 41. aliàs 43.

Sup. contentis in his tribus primis §§. hujus Ref. in Ref. 7. post seq. & supra in tr. 3. Ref. 123. §. 1. vers. Tertio, & infra in tr. 8. Refol. 38. in principio.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Navarrus de pœnit. & rem. lib. 5. c. 13. n. 2. sed ut verum fatear, bonus iste senex fuit non parum moribundis infensus, nam illis, etiam denegavit absolutionem per nutus, & signa.

2. Dicendum est igitur, posse confessarium in supradicto casu, pœnitentes absolvere, non audiendo omnia peccata. Ita docet Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 23. sect. 1. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 9. n. 74. Joan. de la Cruz in direct. p. 2. de sacram. Pœnit. q. 3. dub. 5. concl. 3. & Villalobos in sum. tom. 1. tract. 9. dub. 33. n. 6. ubi sic asserit: [El Confessor que confessa, los que estan en tormenta basta, que oyga dos, o quatro pecados a cada uno, y assi los absuelva, si no puede oyrlos enteramente. La razon es, porque puede uno callar el pecado, por el daño temporal, que se sigue a otro luego mejor podra por el peligro

espiritual de los otros, que si no es assi no se pueden confesar.]

3. Sed plus addit Vasquez (attendat Lector) in 3. Sup. hoc in p. tom. 4. q. 95. dub. 2. art. 2. n. 2. nempe quod in tali casu, tenetur Sacerdos ex charitate, ut aliis subvenire possit; confessionem non perficere; imò si ipse non vellet, quia forsitan scrupulo detineretur, aut alia de causa, pœnitens, qui videret aliorum periculum, potest non perficere confessionem, imò tenetur, & ratio est, quia teneretur aliis succurrere, nec detinere sacerdotem. Ita Vasquez.

4. Notandum est etiam, quod quando imminens periculum, aliud non permitteret, possent omnes simul ostendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & sic simul omnes absolvi unica forma. Ita Coninch ubi supra, & Doctores, quos citat & sequitur Fagundez de precepto Eccles. tract. 2. lib. 2. cap. 3. n. 11. Restat modò respondere ad argumentum contrariae sententiae. Dico igitur talem confessionem esse integram formaliter, sed non materialiter.

RESOL. XLVII.

An cum periculum vite imminet, ut in naufragio, peste, bello, &c. tunc possint simul dicere aliqua peccata, & simul omnes absolvi? Et an in tali casu supradicti teneantur publice, vel per interpretem confiteri, cum remedium habeant Contritionis?

Et quid, quando probabiliter dubitant se veram contritionem habere? Et an sufficiat in dicto casu, ut omnes simul signo aliquo, v.g. ut genuflexione significent se peccasse, & ita possint a Confessario simul absolvi? Ex part. 5. tract. 3. Refol. 71.

§. 1. **N**egativam sententiam docent aliqui apud Villalobos in sum. tom. 1. tr. 9. diff. 33. num. 6. ubi sic ait: [Manuel Rodriguez y Navarrotienen lo contrario desta resolucion, y dicen, que es necessario confesar enteramente los que pudiere, aunque los damas se queden por confesar. El fundamento desta opinion es, porque deve el Confessor hazer entero juuyzo, loqual no podrá dexar por respecto de los otros por un principio comun, que dize: Non sunt faciendae mala, ut inde eveniant bona.]

2. Sed ipse ibi merito respondet affirmative, & sic docet Philippus de la Cruz in Norte de Confessores tract. 1. §. 1. ubi sic ait: [Afe de saber, que en ninguna ocasion hade oyr de confession a muchos juntos, ni absolverlos, solo en un caso, como quando ay peligro de muerte en guerra, y naufragio que entonces bien puede absolver a muchos.] Ita ille, & Layman lib. 5. tract. 6. cap. 13. num. 5. Zambranus de sacram. Pœnitent. cap. 4. dub. 6. num. 14. Valboa in lect. Sahmar. tom. 1. cap. omnis. &c. num. 37. Caelestinus in compen. Theolog. moral. tract. 1. cap. 10. cap. 4. in fine. Henriquez lib. 2. de pœnit. cap. 12. num. 3. Sotus in 4. distinct. 18. q. 2. art. 5. Angelus ver. Confessio 1. num. 18. & alij.

3. Vasquez in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 4. dub. 3. Coninch de Sacram. disput. 5. dub. 10. & alij putant in tali casu supradictos non teneri publice confiteri, cum remedium habeant contritionis, sed posse id facere si volunt, & tunc solum dimidiatur confessio materialiter ex justa causa, non autem formaliter, quia intentio illorum erat omnia confiteri si possent. Verum an teneantur ita publice confiteri, quando sciunt, aut dubitant probabiliter se veram contritionem habere, est dubium. Multi absolute dicunt neminem teneri publice, aut per interpretem confiteri, sed non loquuntur speciatim de articulo mortis, & pro hoc casu

De Absol. Sacramentali. Ref. XLVIII & c. 251

casu presenti, in quo de sua contritione dubitant probabiliter, & hi sunt Toletus lib. 3. summ. cap. 6. Sotus in 4. disp. 18. q. 2. art. 6. Victoria, Valentia, Canus, & alij, quos citatos invenies apud auctorem Annotatum in Tolet. cap. 6. lib. 3. & certe ambigunt in presenti casu loquitur Henriquez lib. 2. de penit. cap. 2. Dicendum tamen est in presenti casu, in quo quia in mortis articulo dubitat an veram habeat contritionem, teneri vel publice, vel per interpretem saltem aliqua peccata minoris scandali confiteri propter periculum salutis aeternae, majus est enim periculum salutis aeternae, quam infamia, & major iactura illius, quam fama temporalis amissio. & ita docet Fagundez pr. 2. lib. 3. cap. 3. n. 11. qui citat Suarez, Petrum Sotum, Canum, & Sylvestrum, quibus ego addo Granadum de Sacram. in 3. part. contr. 7. tr. 9. disp. 4. n. 2. Sed ego, ut verum fatear, semper puto in tali casu probabiliter dubitandum esse de contritione, per ea quae ipse contr. 7. tr. 1. disp. 9. sect. 6. n. 28. asserit, ut infra dicam: ergo facienda videtur confessio, & sufficeret unum solum peccatum declarare, omisissis etiam gravioribus, ut docet Hurtadus disp. 8. diff. 2. Imò plus addo, quòd si in particulari non possent supradicti peccatum aliquod declarare, sufficeret ut omnes cum aliquo signo significent se peccasse. Sed audiamus doctum Hurtadum de Sacram. Penit. disp. 9. diff. 10. ubi sic ait: In periculo mortis ut in peste, bello, aut naufragio, quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, ut genuflexione, significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere, ut continget, si Confessarius dicat, omnes qui volunt à peccatis absolvi, genuflectant, & tunc etiam possunt omnes simul absolvi à Confessario, dicente, Ego vos absolvo à peccatis vestris. Ita Hurtadus, quod est valde notandum.

RESOL. XLVIII.

An tempore pestis possit quis audire aliqua peccata, & confessione non finita moribundum absolvere? Et quid, si eger velit integrè confiteri? Ex part. 5. tract. 3. Ref. 74.

§. 1. Negativam sententiam mordicus sustinet Philippus Marchinus de peste part. 3. cap. 4. mm. 5. & seq. ubi ex septem argumentis contra hanc sententiam stabilire, adi illum, & non pigebit.

2. Non desunt tamen doctores affirmativam sententiam sustententes, licet consulant Confessarios integram confessionem audire. Et ita docet Zambranus de sac. Penit. c. 4. dub. 6. n. 12. ubi sic ait: Si quis non audeat tempore pestis audire infectum, quia timet probabiliter sibi periculum mortis ex infectione, audiat saltem non integrè, se accommodando opinioni juniorum aliquorum, asserentium id posse fieri licitè, quia sicut secundum omnes excusatur poenitens ab integritate, quando ex illa sibi timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris, quia scilicet Confessarius ille injustè poenitenti inferret aliquod ex predictis damnis, si illi integrè confiteatur, ita etiam excusatur Confessarius ab audienda integra confessione, ex qua sibi mortem timet. Ita ille, & post illum Chapeavilla de Sacram. Penit. q. 26. in fine, ubi sic asserit: Quid si eger velit integrè confiteri: Respondeo, si Pastor timet probabiliter periculum mortis ex infectione pestilentis, non tenetur audire, sed excusatur, secundum multos recentiores Doctores eruditos & pios, quorum ratio videtur esse, quia sicut secundum om-

nes excusatur poenitens ab integritate confessionis, quando ex illa sibi timet damnum corporis, vel rei familiaris, vel honoris, quod scilicet Confessarius ipsi injustè inferret, si illi integrè confiteretur; ita etiam excusatur Confessarius ab audienda integra confessione, ex qua sibi à confitente mortem timet. Quod noto in solamen Pastorem, & eorum, qui necdum tanta charitate ardent, ut periculum vitæ corporalis pro majori quiete spirituali proximi adire audeant. Hæc Chapeavilla, & ideo hanc sententiam docet etiam Jacobus de Granado de Sacram. in 3. part. D. Th. contr. 7. tract. 9. disput. 5. sect. 3. n. 20. Layman lib. 3. tr. 6. c. 13. n. 4. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 9. n. 75. Hurtadus de Sacram. Penit. disp. 9. diff. 10. Turrian. de penit. disp. 30. dub. 1. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 23. sect. 1. mm. 1. & alij. Et hæc opinio magis procederet si Confessarius audiendo alicujus moribundi integram confessionem, alij sine confessione morerentur. Unde Villalobos in sum. tom. 1. tr. 9. diff. 33. mm. 6. sic ait: [El Confessor que confessa los que estan en tormenta, balsa que oya dos o quatro pecados, o cada uno, y assi los absuelva, sino puedo oyrlos enteramente, como dize Suarez cum mucha probabilidad, y se puede seguir. La razon es, porque uno puede callar el pecado por el daño temporal que se sigue à otro, como diremos abaxo, luego mejor podra por el peligro espiritual de los otros, que si no es assi, no se pueden confesar.] Ita ille, cui adde Joannem de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de Sacram. Penit. q. 3. dub. 5. conclus. 3. ubi sic asserit: Aliquando per accidens licitè dimidiatur confessio. Primò si poenitens ex defectu loquelæ, aut infirmitate vexatus, non potest omnia peccata confiteri. Ita Medina in summa lib. 2. cap. 8. Secundo si Confessor timet, quòd audiendo integram poenitentis confessionem ejus mortali morbo inficietur, aut si sint multi infirmi, & si Confessor audit integram confessionem unius, alij morientur sine confessione. Hæc Joannes de la Cruz.

3. Et tandem non desinam hic apponere verba Gabriëlis Valquez in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. mm. 2. ubi sic ait: Licitum est aliquando integram non facere confessionem ex parte etiam aliorum, qui expectarent idem beneficium absolutionis ab eodem Sacerdote, ut in bello, aut peste, ubi videremus plurimos periclitantes hoc remedio indigere, & alios private illo, si unius confessio integrè exciperetur imò in hoc casu tenetur Sacerdos ex misericordia, ut aliis subvenire posset, confessionem non perficere, imò ipse si non vellet, qui forsitan scrupulo detineretur, aut alia de causa poenitens, qui videret aliorum periculum, posset non perficere confessionem, imò teneretur, quia teneretur alij succurrere, nec detinere Sacerdotem; Sacerdos verò quando Sacerdos timens adhuc infectionem periculosam nollet relinquere confessionem, sed etiam integram audire si enim non tantum poenitens non teneretur eam non perficere, sed nec posset, quia quamvis Sacerdos posset, nec teneretur cum tanto periculo integram excipere confessionem, tamen posset etiam simile subire periculum, ut integram confessionem audiret, & consolatur agrotum, & ita jam posset agrotus integrè confiteri: quod si posset, teneretur, ut constat. Hucusque Valquez nbi supra.

RESOL. XLIX.

An liceat absolvere moribundum, qui vult præbere elemosinam pro sepultura in loco magis honorifico? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 102.

§. 1. Nega

TON
ora
1011
111